









1752.

1. Dreyer, Joannes Carolus Haurian : De libris phorica seu gestatione lapidum ignominiosa. Commentatus, Actibus eius actibusque praenisi.
2. Lachmannus, Adamus Haurian : Ad novellam C. XLVI. de controversiis, nata ex sacrasum literarum lectione in synagoga Indicis, compositaque per Sabinianum Imperatorem disputatio.
3. Sturios, Fridericus Gullit : De eo, quod iustum est circa abusum rerum corporaliu licitam atque illicitam.

1753.

1. Dreyer, C. Fr. Carolus Haurian : De contributione consanguineorum occisionis ad solvendum Woregol-
dum, vulgo Stnd, ad illustrationem juris Cimbrici,
Loebuch ducto, lib II. c. ²⁷ Meltema IV.

1753.

2. Haue, Philippus Fidericus: An Imperatorem Rom. Rom. 1753

et principum ecclesiasticorum numero eligi quid
impediatur?

1754.

Bi. Dom, Amundus Christianus: De compensatione in 2.

concursum creditorum

1758.

1. Christianus, Wilh. Inustus: De potestate Summi Imperatoris
circa legem naturae.

2. Winklerus, Carolus Fidericus: De jure circa flumina.

3. Winklerus, Carolus Fidericus: De retracta generalis
juris Germanici universalis provocantem in fun-
data intentione omnino constitutenti.

4. Winklerus, Carolus Fidericus: Traga exercitationum
ad jus Lubecense

1759.

1. Thom, Amundus Christianus: De alienatione bonorum hereditarium in casu, ubi fructus habere de iure disponere possunt, jure iure Hamburgensi licita.

2. Mielck, Joannes Bertramus: De sanctitate legatorum.

1760.

Kochenius, Jacobus: De modo probandae nobilitatis gentilitiae per loculorum insignia atque inscriptiones.

1761.

Schuelze, Philippus Wilhelmus: De ultimis voluntariis literarum cambialium, omnium indorsantium, nec non remittentis, in eis ipsis transactis mandata, seuque obligatione et culpa praestantione.

1762.

1. Thom, Amundus Christianus: De jure hypothecae tacitae.



1762

2. Wincklerus, Carolus Fridericus: De fundamentis praelatio-
nis, quo jure Lubecensis gaudent, in successione
liberi fratrum Germanorum praepatris unilateralis.
bus.

1764.

1. Christiani, Wilhelmus Inuentus: De definiendis justis
partium philosophiae practicae limitibus. pars. I
2. Torn, Amadæus Christianus: De jure retentionis in
concursu creditorum

1766.

Vetter, James Fridericus: Meditationes de jure
restringendi libertatem conscientiae, quibus pra-
lectiones. . . indicit.

1767

1. Wincklerus, Carolus Fridericus: De Dispositione usufructus
matris virtualis ex jure Germanico speciatim
Lubecensi.

1767.

2. Gedundam, Joannes Gustichius: De reo non absolucando,
etiam si actor probatione defecerit.

1769.

Gedundam, Gustichius: De praescriptione numeri & hieroglyphicis

1770.

1. Frickel, Joannes Henricus: De moratoris necessitati-
bus juris tam publici quam privati, sedulae praec-
lectionum praemissa.

2. Gedundam, Joannes Gustichius: De testamento judicis per pro-
curatorem ad acta exhibitio.

3. Mellmann, Joannes Victorius: De interpretatione legum
Romanarum praesertim Codicis repetitae praelectionis:

4. Mellmann, Joannes Victorius: Meditatio ad legem 5
C. de donationibus, qua simul praelectiones
per hunc modum habendas significat.

1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800



4152 / 8

IOANNES HENRICI

LITHOPHORIA

ORATIONE LAUDIS SPUMINOSA

COMMENTATIO

PERIS CRIMINALIS GERMANICI

ORATIONIBVS AESTIVALIBVS

IN ACADEMIA CHRISTIANO-ALBERTINA

PRÆMISSA

MDCCCXXXIII

MDCCCXXXIII



IO

L

GI

IN



24 1758,1 7/

DISPVATIO
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS
DE
POTESTATE
SVMMI IMPERANTIS
CIRCA
LEGEM NATVRAE,

P. 157.

QVAM
CONSENTIENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
die 23 SEPTIMBR. 1758.

SVMITTVNT
P R A E S E S
M. WILH. ERNESTVS CHRISTIANI,
SOCIETATIS DVCAE TEVTONICAE IENENSIS COLLEGA,
ET
RESPONDENS
CAROLVS FRIEDERICVS KRÜGER,
KILONIENSIS, L. L. C.

~~~~~

KILONII,  
LITTERIS GOTTF. BARTSCHII  
ACAD. TYPOGR.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words are barely discernible, such as 'SVMME' and 'REGNANTIA'.





ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CHRISTIANO AVGVSTO  
DE BROCKTORFF,  
ORDINIS ANNAE EQVITI AVRATO,  
CAESAREAE SVAE CELSITVDINIS  
MAGNI RVTHENORVM DVCIS  
IN AVLA ET IN SVPREMO SENATV  
ADMINISTRO,  
SVPREMO CVBICVLARIVM DECVRIONI,  
GENERALI EXCVBIARVM PRAEFECTO,  
DYNASTAE CISMARINO & OLDENBYRGICO,

A 2

SVPRE-

SVPREMO PRAESIDI  
CIVITATVM NEOSTADII ET OLDENBVROI,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
CVM VOTO OMNIGENAE  
VOLVPTATIS  
DISPVATIONEM HANC  
SVBMISSO ANIMI CVLTV

D. D. D.

M. WILHELMVS ERNESTVS CHRISTIANI

ET

CAROLVS FRIEDERICVS KRÜGER.

DISPV.





DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
POTESTATE SUMMI IMPERANTIS  
CIRCA LEGEM NATURAE.

§. I.

**P**raeclare Cicero locutus est: Est quaedam non scripta sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus. Quodsi enim omnia illa quae Supremi Numinis clementia nobis concessa sunt beneficia animo perpendere velimus, hoc certe summum & admiratione non minus quam cultu nostro dignissimum oculis obuersabitur, quod cordibus hominem quae iusta, quaeue iniusta sint, quae indefesso studio exoptanda, quaeue cane & angue peius fugienda sint inscripta esse fatendum sit. Cum enim ceterae quae existant leges neque temporum sint, neque locorum omnium, hae adolescentiam instruunt, senectutem concomitantur, ciues bonos, imperantes optimos reddunt. Quare si quid salutis reipublicae conducat hoc certe legum quae rationi conueniunt studio conficiatur necesse est. Quod si cratissimi etiam imperatoris effato, dum imperatoriam maiestatem non armis solum decoratam, sed & legibus esse armatam voluit,





vt vtrumque' tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari, confirmatur. Illud nimirum summum & imperatoriae dignitati apprime conueniens iustitiae promouendae studium, non arbitrarías profecto constitutiones, sed tales quae rerum essentis conueniunt, innuit atque efflagitat. Certe enim neque aliam ab causam imperator §. ult. Instit. de iust. & iure ius ciuile inquit collectum esse ex naturalibus praeceptis aut gentium, aut ciuilibus. Et Vlpianus pari modo l. 6. ff. de iustit. & iure, ius ciuile est quod neque in totum a naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi ius proprium i. e. ciuile, efficiamus. Ex quo quidem apparet optimos omnium quotquot inter homines adsunt Legumlatores, i. e. eos qui ius romanum, quo praestantius in arbitrariis Legum constitutionibus nemo unquam vidit constituerunt, non solum ipsorum arbitrium sequi neque vt pro ratione stet voluntas voluisse, sed animum potius ipsis fuisse omnia sanae rationis principiis conuenientes dirigere atque conformare. Quae quidem res ex voto ipsis successisse videtur. Nihilo tamen secius cum in eo allaborauerint, vt quomodocunque rectae rationis dictamini seruirent, idque singulis constitutionibus pari studio factum esse, maxima eruditorum pars credat, quidam tamen in contrariam abeunt sententiam. Nolo iam in id inquirere, cum alioquin priorum potius quam posteriorum opinioni me accingerem. Sed id tantum disquisitionis obiectum esto an in efficiendis quibuscunque constitutionibus atque praescriptis a naturali legum effato recedere liceat? Seu vt penitus omnem rem inspiciam: *de potestate summi Imperantis in efficiendis legibus ciuilibus circa leges naturales agam.*





§. 2.

Vt omne huius generis argumentum clarius euadat a definitionibus primordia capienda sunt. *Obligationem* itaque *moralem* nexum vocamus qui motiuis atque actionibus intercedit. Propositio quae obligationem *moralem* exprimit: *Lex moralis* audit.

SCHOL. Quamuis sint qui ad omnem legem superiorem requirunt eorum tamen sententiae tantum abest vt subscribam, vt potius grauissimis rationibus commotus hoc veritati minus consentaneum existimare valeam. Non enim interna solum legis constitutio superiorem plane non requirit, cum necessitas ista moralis quae ad omnem obligationem *moralem* adeoque ad legem requiritur absque omni superiori, si modo subiectum adsit in cuius potestate vt consecretaria actionum auctoribus tribuantur, positum sit, sed & experientia quae insignem legum numerum absque superiore conditum testatur. Quibus tam leges conuentionales, quam fundamentales regnorum, eaeque quae capitulationum nomine veniunt suo iure accensentur.

§. 3.

Differentia legum vario ex fundamento determinari potest. Quae vero omnia h. l. indicare instituti ratio nec postulat nec suadet. Vnicum saltem quod pro scopo necessarium est, in medium proferam. Ea nimirum leges spectari possunt ratione qua ab aliquo dependent. Sunt autem propositiones obligatoriae, i. e. tales quae obligationem secum coniunctam habent. Quare cum obligatio sit nexus motiuorum cum actionibus, tot legum species concipi possunt, quot modi adsunt quibus nexus ille constitui potest. Efficitur autem connexio ista vel a natura, l. non. Si prius *obligatio naturalis* & ex illa iterum *lex naturalis* inde ortum trahit. Si posterius vt voluntas cuiusdam adsit, necesse





neceſſe eſt. *Hinc obligatio poſitiua generatim ſic dicta atque lex poſitiua generaliſſimo ſenſu ſumta emergunt. Quare cum voluntas ſit l. Dei, l. hominis, leges diuinae atque humanae concipi poſſunt. Et quoniam voluntas legem conſtituens eſſe poteſt l. ſuperioris l. paciſcentium legum poſitiuarum ſtriſte dictarum atque conuenſionalium ratio patet. Praeterea autem ſi leges & a natura & a voluntate alicuius ſimul dependent Leges qualiſicatae ſ. mixtae efficiuntur.*

SCHOL. Sic v. g. Lex quae ſecuritatem ciuitatis in qua viuus, eſt mere naturalis quatenus per naturam actionis humanae bonitas cum actione illa adeoque motuum connectitur. Lex quae Sabbathum ſanctificandum iubet diuina, quae teſtamento efficiendo ſeptem teſtes ad eſſe exigat humana, vtraque autem poſitiuae ſtriſte dicta eſt. Leges quae collegiis opificum normam praecriunt, ſunt conuenſionales. Lex vero quae homicidio poenam gladii aſſignat ex parte naturalis, ex parte autem poſitiua adeoque mixta ſ. qualiſicata eſt, cum in eadem homicidium natura iam prohibi- tum noua quadam poena vetitum eſſe conſtat.

§. 4.

Expoſita legum notione atque differentia, vt quid ſit imperans in ciuitate ſummus exponamus neceſſe eſt. *Ciuitatem autem vocamus ſocietatem hominum ſui iuris ſecuritatis gratia cum admiſſo communi imperio conſtitutam. Subiectum quod imperium ciuile gerit, imperans in ciuitate ſummus vocatur. Imperium autem cum ſit ius perfectum dirigendi actiones alterius in commune ſocietatis inaequalis bonum quid ſit imperium ciuile facile colligitur.*

SCHOL. I. Subiectum quod imperium ciuile gerit eſſe l. complexum l. incomplexum omnibus notum eſt. Hoc ſi vna perſona phyſica imperium ciuile gerit v. g. in Monarchia; illud ſi plures perſonae phyſicae



physicæ quæ non nisi unicam moralem constituunt, quod exemplo  
Democratiae atque Aristocratiae illustrari potest, obtinet.

Schol. 2. Non est quod opponas datæ de ciuitate notioni, summam  
& eminentissimam illam quam vocant DEI ciuitatem, quæ Supre-  
mum Numen summum imperantem, subditos creaturas quascun-  
que rationales agnoscit. Hac autem posita quatenus vt ciuitas  
consideratur securitatem finem ponendum esse facile probatur.  
Securitas enim est status in quo mala imminetia nulla praeuidere  
liceat. DEVS autem dum in ciuitate sua felicitatem ciuium inten-  
dit, quam finem DEI vltimum efficere in Theol. natur. probatur,  
vult vt ab omni malo immunis adeoque securi sint.

Schol. 3. Imperium ius perfectum actiones dirigendi alterius in com-  
mune societatis inaequalis bonum vocauimus. Nisi enim vlti-  
mus character addatur tunc tam ex omni pacto quam ex societate  
etiam aequali imperium exsurgere concedendum esset, quod ta-  
men cum omni loquendi vsu pugnat.

§. 5.

*Omne ius quod imperanti qua tali competit ex fine ciuitatis  
determinandum est.* Imperans enim qua talis non habet  
ius nisi quod ex imperio ciuili oritur (per def. §. 4.) Qua-  
re cum hoc ex fine ciuitatis diiudicandum sit (§. cit.) ve-  
ritas propositionis manifesta est.

§. 6.

*Quicquid securitatis studium exigit, ad id summo imperan-  
ti ius competit, nisi impossibilitas adsit.* Finis enim ciuitatis  
est securitas (§. 4.) Ex hoc autem omne ius imperantis de-  
terminandum est (§. 5.) Ergo quicquid ad securitatem  
spectat imperans efficere potest. Q. E. P.

Ad impossibile nulla datur obligatio. Omne autem  
ius oritur ex obligatione vid. Ill. Daries I. N. p. 152. ergo  
deficiente possibilitate nullum ius concipi potest. Q. E. A.

CoR. Impossibile est I. physice, I. moraliter tale. Illud respectu  
virium

B



virium naturalium, hoc, lege fieri non potest. Ergo & ad neutrum horum imperanti ius competit.

Schol. Non absolute sed restricte thesin in §. allatam expressimus. Fieri enim non potuit vt eorum commoueremur opinione qui summum ciuitatis bonum, cuique praefendum esse monent. Cum enim bonum maius minori praefendum sit, & bonum ciuitatis omni bono alio maius dici nequeat, restrictionem nostram fundamento haud quaquam destitutam esse satis patet. Quod si etiam nihil prorsus superesset ad probandum dari bonum maius sine ciuitatis communi hoc vnicum saltem sufficeret quod bonum priuatum perpetuum i. e. bonum animae summu motius ciuitatis securitati semper praefendam sit. Ad hoc enim religionis conseruatio pertinet quae si vnquam quauis data occasione cum bono ciuitatis collideretur, vt eidem anteponenda sit nemo non concedet, nisi qui posthabita omni rerum diuinarum cura atque neglecto propriae felicitatis studio indignam bono viro doctrinam in detrimentum generis humani defendere conaretur.

§. 7.

Datas ad definitiones attendenti cuilibet facile patebit, illi qui in potestatem summi imperantis circa legem naturalem inquirere vult id potissimum incumbere vt diuersas legum species separatim consideret. Quapropter primo ad leges mere naturales attendere & deinceps quaenam legum quae ex naturalibus atque posituius constitutionibus mixtae adeoque qualificatae sunt, ad imperantem ratio sit, determinare necesse est.

§. 8.

Leges naturales sunt quae per naturam s. quod idem est per essentias atque notiones rerum constituuntur (§. 3.) Essentia rerum autem l. spectatur in se, l. sub certis circumstantiis. Si prius *leges naturales necessariae*, si posterius *leges naturales contingentes* oriuntur.

Schol.



Schol. V. g. Lex: Quaeras securitatem tuam contra aggressorem est naturalis necessaria, quia posita hominis essentia lex etiam illa ponitur. E contra lex, Arthritico vino abstinendum est, est lex naturalis contingens, quia non sola hominis notione & essentia, sed tantum iis sub circumstantiis quod sit arthriticus innotescit, Vtramque legum speciem probe distinguendam esse ex sequentibus colligere non difficile erit.

§. 9.

Mutatur aliquid si non idem manet quod ante erat. Lex itaque mutatur si non eadem manet quae erat. Cum vero eadem sint, quae sibi inuicem substitui possunt, lex mutatur in totum si sibi nulla prorsus ratione substitui potest, lex mutatur ex parte si sibi ex aliqua saltem parte substitui amplius non potest. Ex priori *abrogatio* oritur. Posterius vel ita fit ut legi aliquid detrahatur, vel ut addatur aliquid. Si hoc *subrogatio*, si illud *derogatio* fit. Derogatio vel fit intuitu certae personae & vocatur dispensatio vel non. Haec itaque recte explicatur, liberatio ab obligatione cum lege connexa intuitu certae personae facta. His ex definitionibus quando *lex mutabilis* quando *immutabilis* vocanda facile colligi potest. Quae mutabilitas & immutabilitas tam absolute quam respectiue intelligi potest.

§. 10.

*Leges naturales necessariae sunt absolute immutabiles.* Lex cuius mutatio est absolute impossibilis absolute immutabilis vocari meretur. Quare cum legum naturalium necessariorum ea sit conditio ut ex essentia rerum in se spectata ortum trahant, (§. 8.) essentiae autem rerum sint absolute immutabiles (per principia metaphysica) leges naturales necessariae absolute immutabiles esse consequens est.

Cor. A genere ad speciem valet consequentia. Ergo leges naturales

B 2

necessa-





necessariae qua tales neque abrogatione, neque subrogatione, neque derogatione neque dispensatione mutari posse ex dictis pronodimanat aluco.

§. II.

Quicquid ciuitatis securitati est conueniens id imperans efficere potest nisi impossibilitas obstat. Iam vero mutatio legum naturalium necessariorum siue abrogatione fieri dicitur siue derogatione, s. dispensatione, plane fieri non potest, ergo a nullo etiam imperante in ciuitate effici potest si vel maxime ciuitatis securitas illud exigere videretur.

COR. Generatim enunciatam exhibemus sententiam. Neque id absque ratione quam vocant sufficiente. Siue enim imperans ille sit DEVS, siue sit homo tamen nullo modo id tolli potest, cuius remotio apertissimam implicat contradictionem.

SCHOL. Dixi mutationem legum naturalium necessariorum si vel maxime ciuitatis securitati repugnare videretur fieri non posse. Ambigue hoc enunciatum esse scio. Neque id falso. Vt enim omnis huius argumenti ratio clarior evadat, in conditionis quae sumitur possibilitatem ulterius inquiram.

§. 12.

Collisionem legum adpellamus statum quo tales concurrunt circumstantiae, per quas fieri non potest, vt singulis legibus quae in se quidem spectatae non sunt contrariae, obtereperemus.

COR. Facta itaque collisione lex manet eadem quae fuit. Ergo non mutatur. (§. 9.)

§. 13.

Fieri non potest vt securitas ciuitatis extra collisionem cum obseruatione legum naturalium necessariorum pugnet. Adeoque securitas ciuitatis harum mutationem extra collisionem non exigit. Securitas enim mala imminetia excludit (§. 4. Schol. 2)

Quicquid



Quicquid itaque malis imminentibus ansam non praebet, securitatem nunquam tollit, adeoque cum eadem pugnare nequit. Quare cum leges naturales necessariae obligatione naturali constituantur, obligatio autem naturalis pro scopo habeat omnem promouere perfectionem, & quatenus aliquid perfectionem promouet malorum causa dici nequeat, leges naturales tantum abest vt mala producere dici possint, vt potius easdem nil nisi bonum efficere fatendum sit. Quae cum ita sint leges naturales si res extra collisionem spectatur cum securitate ciuitatis pugnare non possunt. Quicquid autem cum ciuitatis securitate non pugnat, eius mutationem ciuitatis securitas haudquaquam exigit, adeoque ad obtinendam illam legum naturalium necessariorum mutatio non requiritur.

SCHOL. Sic v. g. Lex te conserua, & lex neminem laedas sunt leges naturales necessariae. Quis autem earum cum fine ciuitatis pugnam vnquam ostendere valet? cum potius in eo omnes conuenire debeant eiusmodi legum obseruationem securitati ciuitatis inseruire, eamque amplificare atque promouere, quoties res extra collisionem spectatur.

§. 14.

In collisione legem quae maiorem, alteri quae minorem promouet perfectionem praefereendam esse, ex principiis iur. Naturalis constat. Si itaque ponamus legem quandam naturalem necessariam cum scopo ciuitatis collidi, & hunc in dato casu maiorem efficere perfectionem, securitatem omnino praefereendam esse patet. *At haec pugna, quae ob collisionem oritur, nullam legis naturalis efficit immutationem, sed statui agendi tantum impossibilitatem quandam imponit (§. 12. Cor.)*

SCHOL. Salus ciuium priuata temporaria in ciuitate est bonum minus





salute atque securitate totius ciuitatis. Lex itaque quae huius conseruationem exigit, maior est ea, quae illius studium suadet. Quapropter in collisione legis quae salutem publicam & eius quae priuam temporariam iniungit, prior praeferenda, & princeps iure dominii eminentis, si vrbs obfessione tenetur, suburbia destruere potest, si totius ciuitatis salus alia ratione conseruari nequit. At qui hoc in casu legem quae conseruationem honorum priuatorum iniungit, mutari dicit, quod veritati minus consentaneum est, statueri videtur. Neque enim sensus legis materialis mutatur neque obligatio quae eius formale efficit, mutata vocari potest. Hoc quidem verum est, hoc in casu contra legem agi, quamuis actio ista imputari nequeat, at ex actione quae fit contra legem, qui mutationem eius colligere studeret, omnes & singulas leges quotidie mutari inuitus etiam concedere deberet.

§. 15.

Altera legum naturalium species quam §. 8. indicauimus, legibus constituitur quarum ratio est in essentia rerum quatenus sub circumstantiis quibusdam illa considerata, & leges naturales contingentes vocari consueuerunt. Circumstantiae autem l. cessant, l. non.

§. 16.

*Leges naturales contingentes, quam diu circumstantiae, quibus efficiuntur, perdurant, mutari nequeunt.* Leges enim illae in essentia sub circumstantiis spectata rationem habent. Essentiae autem rerum sunt immutabiles, per principia Metaphysica, & circumstantiae hoc in casu non mutantur (per hypothesein) ergo durantibus circumstantiis quibus efficiuntur leges naturales contingentes, mutari nequeunt.

*SCHOL.* Leges naturales contingentes immutabiles esse asserum est, sed inde possibilitatem collisionum tollere animus non est; illam enim negare nunquam audemus, sed cuique eius propugnatori facile largiendam esse existimamus. Vnicum tantum vt ea quae §. 12-14. monita



monita sunt hoc loco in memoriam reuocentur, petimus. Quibus rite perspectis exceptionem illam quae ut in collisione fiat necesse est, sententiae nostrae haud quaquam aduersari facile erit intellectu. Adeoque ex istiusmodi exceptione in collisionibus instituenda mutatio legum naturalium haud recte colligitur.

§. 17.

*Imperans in ciuitate non habet ius mutandi leges naturales contingentes, si circumstantiae sub quibus essentia actionum spectatur, durant.* Haec propositio eodem prorsus modo quo ea quae §. 11. exstat demonstrari potest, mutatis tantummodo iis quae natura obiecti mutari iuber.

Co r. Ergo in leges illas quae tales durantibus circumstantiis neque abrogatio neque derogatio, neque subrogatio, neque dispensatio cadit.

§. 18.

*Si cessant circumstantiae quibus essentia spectatur quoad leges naturales contingentes, leges non mutantur sed status actionum.* Etenim leges sunt propositiones obligatoriae. (§. 2.) Quatenus itaque obligatio eadem cum propositione manet connexa, eatenus lex non mutatur. Ast si circumstantiae cessant, propositio in se eadem manet & obligatio non tollitur, cum defectus circumstantiarum nihil aliud nisi nouam quandam determinationem actionum efficere valeat, quare cum status sit collectio determinationum, quae in subiecto ut existentes sumuntur, statum actionum hoc in casu mutari, non leges, intelligitur.

Schol. Sit v. g. Lex naturalis contingens: Arthritico vino abstinendum est, sit porro Caius Arthriticus. Ergo Caio vino erit abstinendum. Ponamus itaque Caium non amplius esse Arthriticum, ergo Caii actio qua vinum bibit non eadem manet, quae antea erat, dum morbo illo laborabat. Lex autem Arthritico vino abstinendum est non mutatur, sed eadem potius manet quae antea erat, status autem actionis Caii mutatur.

§. 19



§. 19.

*Cessantibus circumstantiis, quibus leges in ciuitate contingentes efficiuntur, imperanti competit ius declarandi subditos non amplius eadem prorsus ratione teneri. Imperanti enim competit ius ciuitatis securitatem promouendi, (§. 5.) quare cum eiusmodi declaratio securitati ciuitatis saepissime conducere possit, quod vel ex ordine in ciuitate obtinendo patet, imperanti ad eandem ius esse sequitur.*

§. 20.

*Declaratio ista a summo imperante efficienda de qua in §. praec. sermo est, nec dispensationem nec aliam quandam legis naturalis contingentis mutationem implicat. Etenim in hoc casu status quidem actionum mutatur (§. 18) imperans autem non tollit obligationem quae priori actioni erat imposita, quoniam motiua ab eadem non separat, quorum cum actione connexio obligationem efficit, (§. 3.) adeoque legem istam non tollit (§. 2.) sed tantum casum non super esse cui lex ista accommodata erat indicat, adeoque nec a lege illa dispensare nec eam mutare dici potest. (§. 9.)*

*SCHOL.* Sit lex in ciuitate contingens, nemo post horam decimam in plateam prodeat ob nocturnas latronum grassationes. Cesset deinceps haec circumstantia, ergo actiones non eadem prorsus manebunt. Posita ea actiones istae metum latrociniorum adeoque defectum securitatis efficiebant, remota autem metus iste non amplius superest. Quapropter quatenus imperans lege ista subditos non amplius teneri declarat, nihil aliud nisi mutationem actionum non autem legis indicat. Notandum tamen, nobis sermonem esse de lege ista quatenus ut naturalis spectatur, non autem quatenus forsan obligatio simul positiua connexa est. Hoc enim in casu est lex qualificata, de qua infra dicendum est.

§. 21.

*Fieri potest, ut leges naturales in ciuitate ad singulas actiones*



*nes dirigendas non sufficiant.* Quamuis enim leges naturales omnibus actionibus normam praescribant (per principia I. N.) tamen fieri potest, vt individuales ciuitatum determinationes impediunt, quo minus id quod legibus illis praescribitur a subditis satis distincte cognosci possit, cum multitudo casuum singularium a quocunque, praesertim ab eo, qui non satis accuratam ciuitatis notitiam habet, quae summo potissimum imperanti est tribuenda, haud perspicui possit. Leges autem quae non satis distincte cognoscuntur, ad actiones dirigendas non sufficiunt, quod ex eo patet, quia leges debent esse clarae (vid. Ill. Daries I. N. §. 112.) ergo fieri potest, vt leges naturales in ciuitate ad singulas actiones dirigendas non sufficiant.

§. 22.

Imperanti in ciuitate competit ius securitatem ciuitatis promouendi. (§. 11.) Sed securitas absque legum obseruatione adeoque cognitione obtineri nequit. Ergo si casus adest, de quo §. praecedens loquitur, imperanti competit ius efficiendi vt leges naturales si a subditis non satis distincte cognosci possunt, magis distincte cognoscantur. Quare cum in eo casu, leges naturales ad singulas actiones dirigendas non sufficiant, imperanti competit ius efficiendi, vt sufficiant. Hoc autem fit, si per circumstantias ciuitatis individuales, illas magis determinatas exhibet. Propositionem enim magis determinare nihil aliud est, quam id ad eandem addere, quod vt non determinatum in eadem spectandum erat (per principia Log.) ergo *imperanti ciuitatis postis his determinationibus competit ius leges naturales per individuales ciuitatis circumstantias magis determinandi.*

SCHOL. Sic lex naturalis est in ciuitate: Subiecti ciues obligati sunt  
 C ad





ad munera publica in se suscipienda, sed quaeritur, quatenam sint illa munera publica? facile intelligitur, haec diuersa esse posse, in diuersis ciuitatibus. Ergo summo imperanti competit ius legem istam naturalem per circumstantias ciuitatis indiuiduales ita determinandi, vt appareat, quatenam sint ista munera publica ad quae suscipienda subditi obligati sunt.

§. 23.

Leges naturales qualificatas esse dixi §. 3. quae partim a natura, partim a voluntate alicuius dependent. Hae quidem vt rite cognoscantur, distinctio, quam inter materiale & formale legis intercedere, philosophi affirmant, notanda est. *Materiale legis* vocamus ipsam veritatem practicam, qua bonum l. malum aliquid lege enunciatur, *formale* autem obligationem seu motiuum ex qua eadem oritur, & quae in legibus positiuis quoad maximam partem sanctio poenalis vocari potest.

SCHOL. Sic non occidas est materiale legis quod homicidium prohibet, poena autem gladii est formale eiusdem.

§. 24.

His praemissis facile intelligitur, quid *lex naturalis* tam quoad materiale, quam quoad formale item quid sit *lex positiuus quoad materiale* & quid eadem sit quoad formale talis.

§. 25.

*Omnis lex quoad materiale naturalis est etiam formaliter talis, & omnis lex formaliter naturalis est etiam materialiter talis.* Etenim lex materialiter naturalis est l. necessaria l. contingens. In vtroque casu veritas eius, quatenus bonitatem l. prauitatem indicat per essentiam rerum efficitur (§. 8.) Sed haec ipsa bonitas l. prauitas distincte cognoscenda



da motiium constituit, (per def.) adeoque obligationem (§. 2.) ergo lex veritatem naturalem indicans obligationem etiam per naturam siue essentiam constitutam commoustrat, adeoque lex, quae est materialiter naturalis etiam quoad formale talis est (§. 23. Q. E. P.)

Ponamus porro legem formaliter naturalem, ergo legem quae obligationem per naturam s. essentiam secum coniunctam habet (§. 23 & 24.) est haec obligatio motiium naturale (§. 2. coll. 3.) & hoc iterum bonitatem l. prauitatem per naturam constitutam ideoque veritatem naturalem efficit, quare cum ex hoc materiale legis naturalis exsurgat. (§. 23) legem formaliter naturalem etiam quoad materiale talem esse consequens est. (Q. E. A.)

Cor. Cum leges naturales sint immutabiles (§. 10. 16. coll. §. 18.) has neque quoad materiale, neque quoad formale ab imperante mutari posse sequitur.

§. 26.

*Fieri potest ut imperans in ciuitate summus legem naturalem in eadem qualificatam efficiat.* Quicquid enim ciuitatis securitas exigit, id imperans efficere valet (§. 6.) sed homines naturalium legum motiuis, non satis omni tempore commoueri, experientia testis est. Quapropter imperans fortiora motiua legibus naturalibus addere adeoque nouam quae ab ipsius voluntate pendet obligationem iisdem adnecessere potest, quae ad obtinendam securitatem sufficiat.

§. 27.

Cum securitas ciuitatis solum haec *consecutaria* exigat, si per eam non amplius requiruntur *ab actionibus iterum separari posse*, ex def. summi imperantis coll. §. 6. facile colligitur.

C 2

§. 28



§. 28.

*Si lex naturalis, quae non qualificata erat, ab imperante qualificata efficitur l. si haec obligatio positiva cum lege naturali connexa tollitur, lex naturalis qua talis non mutatur.* Quamdiu enim legi naturali nihil additur, neque detrahitur, neque illa, ut in totum cesset, efficitur, mutatio legis naturalis qua talis non adest. (§. 9.) Ast si lex naturalis non qualificata ab imperante qualificata efficitur lex neque in totum cessat, neque aliquid eidem detrahitur, ut per se patet. Neque etiam aliquid eidem qua tali additur. Qua talis enim spectatur, quatenus essentia efficitur. Essentiae autem qua tali nihil additur cum ea sit immutabilis. Ergo legi naturali qua tali nihil additur. Pari modo, si lex naturalis qualificata non qualificata efficitur, neque lex in totum cessat, neque eidem aliquid additur, ut per se patet. Neque etiam qua tali eidem aliquid detrahitur. Qua talis enim essentia, quae immutabilis, adeoque cui nihil detrahi potest, constituitur.

§. 29.

Rem omnem hactenus indicavimus, qualis nobis visa fuit. Ad quaedam tantum quae contra immutabilitatem legum moneri solent paucis respondebimus. Non autem in eo sumus, ut omnia quae contra eam proferuntur, & quae ab aliis dudum excussa sunt, dubia repetamus. Quibus argumentum illud, quod per omnipotentiam divinam leges naturales mutari posse monet, accensendum est. Quod tamen merito inde refellitur, quia omnipotentia divina, ea quae l. physice l. moraliter fieri nequeunt pro obiecto neutiquam habet. Eiusdem etiam farinae sunt, quae de immolatione Isaaci Abrahamo mandata & de vasis Aegyptiorum argen-



argenteis & reliquis pretiosis clam abreptis monentur, cum vtraque actio & prima etiam si perpetrata fuisset iniusta vocanda non sit. Hominem enim sine iure occidit is tantum cui non est ius in vitam & iniuste res alienas aufert, cui in easdem ius non competit. Qui autem vtrumque DEI iussu facit, is iure gaudet, ab eo cui plenum & eminentissimum, quod vnicum rigoroſe loquendo tale est, dominium in vitam, & in res competit, sibi delato, adeoque vt instrumentum diuinum pari modo quo tonitru, tempeſtas aliaque eiusdem generis ſpectandus est, quibus DEVS pro infinita ſua ſapientia ad occidendos homines, eosdemque bonorum poſſeſſione priuandos ſaepiſſime & omnium conſenſu iuſte vtitur. Merito itaque illis immorari ſuperſedeo, & ad ſoluen- das alias quaſdam obiectiones quae reſponſione vteriori indigere videntur, me accingo.

§. 30.

Primo quidem mihi occurrit doctiſſimus M. Georgius Gottlieb Siegel in Diſputatione qua diſquiritur: Vtrum officia iuris N. ſint indiſpenſabilia. *Distinguit nimirum inter officia iuris naturalis neceſſaria & contingentia. Quod ad illa diſpenſabilitatem negat, quod ad haec aliquo modo concedit.* Rationem quidem affert ſequentem. Officia iuris naturalis contingentia vocat ea, quae in contingenti huius mundi ſtatu fundantur, & in alio mundo ceſſare vel mutationem ſubire poſſunt. Haec quidem remedia vocat ad obtinendos fines diuinos, quos in mundo obtineri vult. Quare cum propter variabiles circumſtantias, 1) in vno caſu ſit remedium ad finem quod in peculiari caſu huius naturam amittit, & 2) propter collisionem finium diuinorum & ob corruptelas generis humani omnes interdum non poſſint obtineri,





neri, & felicitati temporali certorum indiuiduorum horum officiorum obseruatio aduersari queat, dispensationem licitam putat. Ast quod ad primum concedo quidem, officia contingentia esse eiusmodi remedia, sed nego exinde hac ratione dispensationem oriri. Etenim casus mutantur secundum hanc hypothesin, non leges, adeoque nulla est dispensatio. (§.9.) Quod ad alterum exceptionem in collisione institutam non efficere legis mutationem, adeoque nec dispensationem Schol. ad §. 16. demonstratum dedimus. Sententiam suam porro illustrare studet exemplo officii quod matrimonia indissolubilia esse statuit. A quo tamen eo in casu, quo dissidia maximi momenti inter coniuges sunt, DEVM dispensare posse putat. Sed primum mihi id monendum videtur indissolubilitatem matrimonii a doctissimo Auctore officii contingentibus accenseri. Quod quidem ideo affirmare nollem quia haec ex pacto tantum oritur, obligatio autem ad pacta seruanda minime contingens sed necessaria vocanda sit. Deinceps quod ad ipsam rem attinet, dissolutionem matrimonii dispensatione efficiendam putat ob dissidia maximi momenti. Sed ponamus, adesse rixas inextricabiles, ponamus matrimonium necessario esse soluendum, neque tamen inde dispensatio colligi potest. Omne enim pactum cessat, quoties finis non amplius obtineri potest, & societas voluntaria cessante scopo societatis per pactum constituto. Fines autem matrimonii procreatio non solum sed etiam educatio sobolis & mutuum adiutorium vocari debent. Horum quidem nullus fere obtineri potest, si rixae adsunt inter coniuges, atque dissidia maximi momenti. Quapropter ob impossibilem finis acquisitionem, hoc in casu matrimonium cessat, non autem ob dispensationem. Tunc enim nulla prorsus dispen-



dispensatione indigemus, si omnis negotii siue pacti s. societatis ratio sua sponte cadit. Quod apprime conuenit cum eo quod Christus non nisi propter rationem scortationis diuortium permittat. Ad exemplum quidem prouocat Matth. 19, v. 8. vbi Pharisei quaerunt ex Christo an liceat uxorem per diuortium dimittere? Et Christus respondit, primis temporibus illud licitum non fuisse. Iudaeis tamen postea ob ipsorum contumaciam permissum esse. Quod iterum Marci cap. 10, v. 4. seq. assertum esse constat. Sed vtrumque dictum non de dispensatione loqui facile probari potest. Primo enim de permissione, quae a dispensatione cum haec intuitu certarum personarum fiat, multum differt, sermo est. Deinceps neque in totum permissum esse diuortium videtur dispositione Moisaica. Nihil enim aliud, nisi diuortium a poena civili exemptum fuisse adeoque tantum legis non qualificatae formam in republica Iudaeorum accepisse facile patet. Ex iis autem quae in §. 28. diximus, apparet, legis mutationem ab eo nondum effici, qui legem quae qualificata erat non qualificatam reddit.

§. 31.

Id quidem quod leges ciuiles nec de facto contra legem naturalem esse posse Hobbesius statuit Elem. de Ciue cap. 14. §. 10. quamuis non directe saltem indirecte contra thesin nostram esse videtur. Ita nimirum edisserit: *Lex naturalis omnes leges ciuiles iubet obseruari. Ex quo sequitur legem ciuilem nullam, quae non lata sit in contumeliam Dei (cuius respectu ipsae ciuitates non sunt sui iuris, nec dicuntur leges ferre) contra legem naturalem esse posse. Nam & si lex naturalis prohibet furtum, adulterium, si tamen lex ciuilis iubeat*



beat innadere aliquid illud non est furtum; adulterium &c.  
 Quod exemplo Lacaedemoniorum, qui pueros bona aliena furto surripere iusserunt, confirmare studet. Sed si ad fundamentum totius huius ratiocinationis attendere velimus, propositio, quam supponit legem nimirum naturae omnes leges ciuiles exceptis iis, quae in Dei contumeliam latae sunt obseruari iubere, non rite comparata est. Ratio enim propter quam lex naturae ciuilis legis obseruationem exigit, in eo tantum posita est, quod perfectio quaedam inde obtineri possit. Quod si ergo leges ciuiles tale quid statuunt quod contra perfectionem impingit, nulla sane ratio ex naturali iure remanet quae earum obseruationem postulat. Adeoque tunc veram obligationem non constituunt, quod exemplis de legibus, quae furtum, adulterium & rel. praescribunt, illustrari potest. Ast si dicendum quod res est, hanc sententiam non minus quam multas alias quae in scriptis ipsius occurrunt, studio defendendae regiae potestatis contra aduersarios eiusdem qui tunc temporis Caroli primi maiestatem nefario scelere laedere non dubitabant, originem suam debere videtur.

§. 32.

Quum in hac nostra meditatione dixerimus Legislatariam principum potestatem ita comparatam esse, vt contra legem naturalem nullo plane iure disponere valeat; ad sententiam Thomasi qui in Disputatione de statu imperii potestate legislatoria contra ius commune, defendit quaedam principia iuris naturalis, quae bona l. mala media praecipiant & vetant, & quae principia decori appellat, eius generis esse, vt principum leges aduersus eadem statuere queant, profus accedere non possumus. Rationem huius vide





vide §. 16 seq. Nihilo tamen secius opinioni ipsius de rationabilitate legum in eadem disputatione indicata, lubenter accedimus. Nota enim illa Iureconsultorum brocardica *subditorum non esse iudicare de legibus sed secundum leges, & legem uti duram tamen esse seruandam* semper nisi maior quaedam lex obstat, quod ex doctrina de collisionibus iudicandum est, verissima esse concedimus. Subditi enim si de quacunque legum posituarum rationabilitate iudicare vellent, omnis nexus civilis mox solutus existeret. Ad hoc accedit singulos ciues immo eos, qui alioquin quoad facultatem veritates perspiciendi sua laude non sunt frustrandi, de legum rationabilitate accurate satis ideo iudicare non posse quia determinationes ciuitatis indiuiduales, quibus conuenientia legum cum ratione potissimum nititur, non tam istis, quam summo imperanti nota sunt atque perspecta, quippe qui solus distinctissima rerum ciuiliu[m] cognitione in republica pollet.

§. 33.

Quod si hac ratione singula perspicere eaque quae §. 22 & 23. diximus animo secum perpendere vellent, qui de legibus ciuilibus pro ea quam sibi met ipsis inesse fingunt sapientia saepissime nimis liberaliter iudicant, sane earum potissimum quae apud nos quidem valent, & iustitiam & auctoritatem & exactissimam cum ratione conuenientiam absque omni difficultate perspicere possent. Ita quidem illi quibus id quod S. C. Macedoniano leges romanae disponunt non arridet, & quod eodem statutum est iuri naturali aduersari putant, optime refutari possunt. Quamuis enim verissimum sit iure naturali filium familias non minus ac quemcunque alium ad pecuniam mutuo acceptam restituendam

D

dam



dam teneri, tamen certissimum est, cum ciuitatis interfit, ne filiifamilias creditorum nimia liberalitate qui horum cuique mutuo dant pecuniam, & spe lucri quod saepe illicito modo augent, libenter afferunt, bonis suis aliquando cedere cogantur, nihil magis naturae conueniens esse quam si creditorum liberalitas quoad mutuandam pecuniam aliquo modo restringatur. Quale autem quaeso melius immo facilius remedium ad id efficiendum cogitari potest, quam si lex naturalis: mutuo accepta pecunia restituenda est, in foro ciuili non qualificata efficiatur? Ex hoc autem legis naturalis mutationem plane non inferri posse §. 28. coll. §. 22. satis vt opinor demonstrare valet. Nec multum ab hinc differt ratio qua Auth. Si qua mulier C. ad S. C. Velleianum extra omnem quae circa ipsius iustitiam excogitari queat, dubitationis aleam poni potest. Per multae legum ciuilium dispositiones hac ratione ab omni iniquitatis macula impunes ostendi possent, si tempus scribendae huic meditationi destinatum id quidem ferret. Vnicam tantum exemplum quod instar omnium sit, & quodiuris etiam naturalis interpretes mirifice exercuit, addam. Nimirum L. quisquis Cod. ad L. Iul. Mai. eorum qui criminis laesae Maiestatis rei sunt filii non solum bonis paternis arcentur sed praeterea etiam cautum est, vt a materna haereditate ac successione alieni habeantur, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia paterna comitati, ad nullos prorsus honores & sacramenta perueniant, & sint postremo tales, quibus perpetua egestate fordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. Neque id solum, sed praeterea vitam ipsis imperatoria specialiter lenitate concessam esse legitur, cum alioquin pater-





terno deberent perire supplicio, in quibus paterni hoc est hereditarii criminis exempla metuuntur. Prius quidem quod attinet, priuationem bonorum, quae confiscatione adimuntur, aliorumque quotquot exstant emolumentorum securitate reipublicae haec non ex vna tantum ratione requisita videtur. Etenim non id solum facile patet, dolorem atque incommoda poenae hinc multum augeri, si non propriam tantum personam sed eos etiam qui maxima charitate ipsis iuncti sunt, miseros fore, grauissimi huius delicti rei peruiderint, sed liberos, etiam cum vix ac ne vix quidem tanti sceleris notitia ipsos fugere possit, vt ad auertendum illud omnem curam atque industriam aduertant, hinc per quam excitari. Collisione itaque vrgente talis lex lata videtur. Multa autem collisionibus dura praescribenda esse quae alioquin euitanda forent, quis ignorat? Damnum ergo quod isti sentiunt non vt poena sed vt damnum quod venit in consequentiam, de quo vide Grotium l. 2. cap. 21. §. 10. spectari debet. Postremum autem vi cuius paterno supplicio perire debuisse dicuntur, ea tantum ratione, qua eadem in ipsis delicta metuuntur, metu nimirum pro iusto atque vero accepto, explicandum censeo. Alias enim id quod Seneca lib. 2. cap. 4. de ira, de iis qui sanguine gaudent humano, disputat, ad hanc etiam legem summo iure adplicari posset. Et quamuis obiici possit, DEVM tamen ipsum paterna delicta in in posteros vindicaturum esse, ex ipsa clausula Decalogi luculenter satis apparere, tamen omnis res nostra salua manebit. Haud equidem rationi a Grotio de lure belli & pacis l. 2. cap. 21. §. 14. primo allegatae vltius insistere volumus. Licet enim DEO plenissimum & in res & in vitas

D 2

nostrae



nostras dominium esse tam verum sit, vt eo etiam respectu nullum plane aliud dominium verum cogitari queat, tamen specialior quaedam huius ratio inspicienda est. Quae in eo quidem facillime inuenienda quod ab ipso Grotio additum esse constat, DEVM nimirum vt parentum supplicium ex miseria liberorum augmentum capiat, hoc constituisse si modo illud obseruetur, DEI sensum eum esse vt infontibus etiam vsque ad tertium l. quartum gradum parentum poenae inferantur, difficulter satis probari posse, sed tantummodo de poena eo casu quo parentum vestigia premunt, augenda, assertum valere videtur, quod ex Ezech. cap. 18. eiusque potissimum v. 19. & 20. vltius apparet. conf. Pufendorf I. N. & G. L. 8. cap. 3. §. 33.

§. 34.

Quae cum ita sint ius imperantis in legem naturae satis euictum, finesque legislatoriae potestatis satis definitos esse puto. Ita nimirum iustitia legum ciuiliū abunde cognosci, earumque aequitas potissimum quae ex nostris pro duris & iniquis a quibusdam venditari solent, satis superque defendi posse videtur. Quare licet plura adhuc dicenda superessent, tamen cum temporis & instituti ratio id iam non permittat, haec in praesenti sufficient.

T A N T V M.





LETTRE DE L'AUTEUR  
A MONSIEUR LE COLONEL KRUGER.

MONSIEUR

Si je prens la hardiesse de vous ecrire a cette heure, ce n'est pas tant par coutume que par une veritable estime & par la reconnoissance la plus vive. C'est sans doute un devoir digne d'un honnête homme, que celui de chercher toute l'occasion imaginable, pour temoigner a son bien-faiteur les marques d'une gratitude accomplie. Vous avez eu toujours tant de bonté pour moi, que j'en suis touché d'une maniere extraordinaire. Je pense que vous avez assez de bonne opinion de moi pour le croire. Cor, comme vous gagnez par votre bienveillance le cœur de tous ceux qui n'en font point entierement indignes, vous ne sauriez point douter que vous n'ayez point la plus profonde estime de ceux qui vous obligez particulierement. Souffrez donc Monsieur que j'aye l'honneur de vous protester publiquement, que personne vous est plus redevable que moi. Je me souviens toujours de vos favorables sentimens qui me font tant de gloire. Je suis persuadé que je vous doive la faveur de beaucoup de personnes distingués aussi bien par leur merite que par leur rang. Et jamais j'oublierai toute sorte de bonté dont vous m'avez honoré, & qui la modestié qui vous est si propre me defend de nommer publiquement. Sur tout je suis rempli d'une extreme Joye, que vous avez permis a Monsieur votre Fils de se servir de mon enseignement en faisant ici ses études philosophiques. A present j'aurai l'honneur de le conduire pour defendre cette thèse. Il n'y a rien dont je suis plus persuadé que du bon succès de ce propos. J'ai l'honneur de vous feliciter par avance a cause des nouvelles louanges qu'il va ajouter a celles qui ont deja souvent couronné ses nobles travaux. Le ciel vous conserve encore long tems au bien public, & a vous ce digne heritier de votre vertu, aussi bien que votre illustre Famille. Ce sera l'accomplissement des voeux ardens de celui qui vous supplie de lui continuer votre grace & de croire qu'il sera sans cesse avec une profonde veneration

MONSIEUR

VOTRE

a Kiel ce 23 de Septembre  
1758.

tres humble & tres obeissant Serviteur  
GUILLAUME ERNESTE CHRISTIANI.

Der





Der Trieb nach Ruhm, gezeugt von der Tugend  
Mit Wahl gelenkt, durch Fleiß genährt:  
Er reizet schön, belebt das Feuer der Jugend,  
Und bleibt dem Greisen lebenswerth.

Er lehrt das Herz schön, richtig, edel denken,  
Und treibt den Willen zum Entschluß;  
Den spornet er an mit segnenden Geschenken,  
Und lohnet Thaten mit Genuß.

Du fählest ihn, den, Freund, in Deiner Seele  
Die Vorsicht Dir zum Segen schuf:  
Du hörst durch ihn beglückende Befehle,  
Und freudig folgst Du dem Beruf.

Oft erndtet schon Dein Fleiß, die seltne Ehre!  
Dem Beifall wahrer Weisen ein.  
Doch wenn der nicht des Beifalls würdig wäre;  
So müßte Tugend Blendwerk seyn.

Dich treibt auß neu die ausgebrachte Neigung,  
Der Wahrheit Lieblich fähret Dich.  
Du eilst und kämpfst, gestärckt durch Ueberzeugung  
Und Dich begleitet Ruhm und Sieg.

D siege oft! = = Doch Du wählst andre Neusen,  
Und siehst das werthe Bestathen:  
Wie pocht der Wunsch in treuer Freunde Busen  
Freund, für Dein dauend Wohlergehn.

Dem gelehrten Herrn Respondenten  
bezugte hiedurch seinen aufrichtigsten Antheil  
Desselben

ergebenster Diener  
J. B. Mielck, M.

VIRO PRAENOBILISSIMO  
CAROLO FRIEDERICO KRÜGER  
DEFENDENTI ORNATISSIMO  
AMICO SVO INTEGERRIMO  
S. P. D.

IOANNES CHRISTIANVS HASSE.

Maximo perfundor gaudio, quam nunc mihi diu expectata obuenit  
occallo, qua gratam Tibi mentem declarandi facultas mihi datur.

Dissen-



117

Dissentientis enim spartam tribus iam vicibus a me Tibi oblatam nunc mihi quoque committis. Virtus Tua, scientiaque, qua imbutus es, singularis, ad hoc Tibi praestandum officium suaderent monerentque, si nulla alia quoque ratione me Tibi deivctissimum sentirem. Ast quum tanta amicitiae Tuae haut fucatae in me exsint specimina, quum amor, quem mihi multis abhinc annis tribuisti tam integerrime, & quum aliis pietatis tuae documentis hoc, quod recenti adhuc teneo memoria lubens laetusque adiecisti: facere non possum, quin Tuo satisfaciam desiderio. Non persuasum solum mihi est, sed scio quoque quam certissime, Te ex hac veritatis palaestra, uti ex omnibus conatibus Tuis soles, maximam reportaturum esse laudem. Gratulor itaque reipublicae de futuro ciue tanto studio in litteras incumbente. Gratulor patriae de fructibus, quos ex tanti eruditi conatibus percipiet aliquando. Gratulor patri viro meritorum pondere splendidissimo, de filio tam bonae indolis tantaeque spei. Gratulor familiae de propinquo tam felici successu ad honores viam sibi pendente. Gratulor denique mihi, de amico, quo multi inferiores, cui pauci aequiparandi. Seruet Te summum quod veneramur numen, quo nostrae praecuenias spei, sospitem: atque incolumen. Sic ex Tua salute maxima quoque in me redundabunt commoda & nullo non tempore me gloriae testem, amicitiae comitem habebis deivctissimum. Dabam Chilonii d. d. XIII. Calendas Octobris A. S. R. c15 10cc LVIII.

---

A MONSIEUR C. F. KRÜGER  
CANDIDAT DES DROITS TRES DIGNE.

MONSIEUR

Enfin je ne puis plus tenir contre tant des marques de Votre amitié sincère & constante. Je sçai, cher Ami, combien ceux fuyent le bruit, qui s'entre-aiment avec un véritable attachement, & qu'ils ne desirerent rien moins, que de faire eclater leur amour reciproque par des contestations vaines & superflües. Mais depuis l'heureux moment, ou se forma le doux lien de notre amitié inviolable, Vous en avez usé avec moi d'une maniere si noble & si peu commune, que je ne scaurai m'empêcher de Vous remercier ici publiquement. En effet! combien de fois n'ai je pas eu lieu d'admirer la bonté de Votre coeur, la solidité de Votre esprit, & cet attachement aux etudes qui vous est si singulier. Surtout je me sens saisi de la plus vive reconnaissance envers Vous, lorsque Vous m'avez choisi pour entrer avec Vous dans la docte dispute, dont je suis si sur, que  
Vous



Vous remporterés le prix, que je regarde cette dernière faveur comme un gage précieux, que Vous m'avez voulu laisser en partant, de Votre amitié constante. Permettes-moi de prendre part à l'applaudissement universel de Votre illustre Famille, & de tous ceux, à qui Vous êtes cher. Que le sort le plus doux & le plus charmant Vous attende par tout ou Vous irés! Que le bon Dieu guide Vos pas, & Vous fasse revenir comblé de nouvelles perfections, dont Vous ferés alors un glorieux usage pour le salut de notre chere Patrie. Je suis avec l'estime la plus forte, & avec une tendresse immuable.

MONSIEVR

VOTRE

à Kiel ce 23 de Septbr.  
1758.

tout devoué ami & serviteur  
FREDERIC RUDOLF SARAUV,

VIR O

PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE RESPONDENTI  
CAROLO FRIDERICO KRÜGER  
AMICO SVO HONORATISSIMO ATQVE INTEGERRIMO

S. P. D.

SIGISMVNDVS HASSIVS Slesv. Tönning.

Quanta voluptate adscior, te, studiis mirifice deditum, iterum cura aduersariis tuis in arenam descendentem, videns, incredibile est dictu. Scio, atque luce est clarius, te non litterarum superficiem, si ita dicere fas est, duntaxat attingere, vt doctus videaris. Sed multo magis, excitatum Tuum, cupidine solidioris litterarum scientiae, ingenium praestantissimum Te, quod tibi est honori, ad res excitat grauissimas, & omnes, in quibus plurimi gradum sistunt, strenuo atque duro vestigando veritates recludit. Errarem itaque praesagiens, ex te absque vilo dubio, auxiliante Deo, mox eum euasurum esse, quem Domus tua sibi magnum in te promisit virum? Conatum atque honorem tuum nouum tibi gratulor. Gratulor Parentibus Tuis, qui, quod non adfert eis minimam voluptatem, in filio defloratorum columen annorum amplectuntur, Profecturus es, charissime Amice! Sis felix, & duce Deo nulla incommoda feres. Pura, denique quod adhuc superest mihi conferues in-columem, humanissimeque rogare. Meis erga te officiis debitis vniatis viribus in perpetuum fungar. Dabam Kiliae die 23 Septembr, 1758.

✱ ✱ ✱



ULB Halle  
001 601 61X

3



TA-→OL







24

1758, 1

7

DISPVATIO  
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS  
DE  
POTESTATE  
SVMMI IMPERANTIS  
CIRCA  
LEGEM NATVRAE,

7. 157.

QVAM  
CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

die 23 SEPTEMBR. 1758.

SVBMITTVNT  
PRAESES

M. WILH. ERNESTVS CHRISTIANI,  
SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAE IENENSIS COLLEGA,  
ET  
RESPONDENS  
CAROLVS FRIEDERICVS KRÜGER,  
KILONIENSIS, L. L. C.



KILONII,  
LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII  
ACAD. TYPOGR.

